




17
AZIONALE
IRENZE

ORATIO FVNEBRIS MATTHAEI CVTINII DE LAVDIBVS LEONIS VNDECIMI PONT. MAX.

TANQVAM IN SVMMA AEDE Florentina, funere ipsius habenda, elucubrata.



FLORENTIAE,
Apud Christophorum Marescotum. MDCV.
Superiorum permissu.



MATTHAEVS CVTINIVS
BERNARDO NERIO EPISCOPO BISIANENSI S. P. D.



VAE me nuper causa impulit, vt in funere Leonis XI. auunculi tui hanc orationem conscriberem, eadem me nunc impellit, vt eam ad te mittam. Cupiebam enim haberi gratus. & quoniam plurima illius in me merita extabant, nullus autem mihi amplius relinquebatur locus declarandæ meæ in eum voluntatis: supremo die lacrimis & his scriptis decorare nixus sum. Sed cum adhuc gratia, quasi quoddam æs alienum, apud me integra esset; neque ille, cui extrema præstiti, quicquam amplius á me accipere posset. vt omnem meam debitionem in te dignissimum illius hæredem conuerterem, ęquum iudicaui. eandemque orationem, si fortè tuum dolorem lenire posset, tibi dicarem. Doleo eum non esse me, qui dum tibi hoc, qualecumque sit, muneris mitto, dumque omne meum studium, operam, & voluntatem defero, possim quicquá tibi voluptatis importare. & meam hanc laudationem nec tanti Pontificis meritis, nec tuę dignitati respondere. Spero tamen eam, si æquo animo accipias, plurimum splendoris, atque auctoritatis adepturam. quippe qui optime norim, minima quæque, preciosa euadere, si in magnorum virorum thesauris recondantur. Vale.



IC dies hodiernus, qui nobis adeo funestus ac luctuosus accidit (Patres) tandiu vniuerso Christiano orbi non idem grauis, et luctuosus futurus est, quamdiu communis huius incommodi mœstissimi nuntij non eò peruenerint. Leonis .xi. Põtificis Max. et eiusdẽ Antistitis nostri funeri constitutus est: cuius vita innocẽtissimè et splẽdidissimè acta, et Romæ, hoc est magno celeberrimoque orbis terrarum theatro diu spectata, et diuinis honoribus aucta & cumulata, eam longissimè gentiũ nominis sui lucem effudit, vt õnibus esset carissimus: eãque passim de se excitauit opinionẽ, vt omnes existimarẽt Christianã remp. fidelissimis prudentissimisque eius consilijs innixam, ac sanctissimis auspicijs fultam, saluam, et florẽtissimã futuram. O factũ huius Vrbis, ad laudem quidem hominum gloriosum, sed ad luctum mœroremque nostrum, graue & peracerbum. Ex ea ne penè quotidie, tam multos eximijs virtutibus insignes è vita migrare, quorum interitus non ad suos ciues solum, sed ad vniuersos propè mortales pertineat? Occidit superioribus annis, summo cum omniũ dolore Cosmus, ex hac Serenissima Medicea familia ortus, & ob res præclarissimè gestas inter magnos Duces relatus. Occidit, haud diu est, Mag. Frãciscus eius filius, et ipse inter optimos principes annumerãdus. Et nunc tertius Leo accedit, à cuius singulari probitate, atque integritate, nihil non sibi prosperum pollicebantur ij, qui Christianum Imperiũ conseruatum atque auctũ cupiebant. Quare si nos, dum cæteri parua pusilli tem-

poris vsura iustissimi doloris perfruuntur, officiosis lacrimis indulgemus: Si Ciuitas eo splendore spoliata, quo apud exteras nationes florebat magis, nunc tota in mœrore est: si templum hoc augustissimum, quod paulo antea iucundis, nunc atris ignibus lucet, & mæsto luminum fulgore animi aciem perstringit, & ad lugendum ingredientes inuitat: si quisque summus, medius, infimus, vigilantissimo Pastore amisso, in cuius amore & consilio conquiescebat, vultu, fronte, & oculis, varia declarat doloris & amoris indicia, mirandum non est. Quis.n. in tanta rerum acerbitate se se contineat, quin quod habeat à natura virium totum depromat, & ad has exequias cohonestandas conferat? Equidem, vt pauca de me ipse loquar, & rationem facti mei breuiter probem: licet ab ineunte ætate ita me semper compararim, vt ex huiusmodi locis ad dicendum amplissimis, audire semper, quàm audiri maluerim: vnico tamen hoc vulnere accepto, supremo optimi parentis die, quasi alter Crœsi filius, non amplius mihi silendum iudicaui: sed extra illos cancellos, quos mihi natura, siue pudor circumdederat, egrediendum, & in summa eloquentium virorum copia, qui sibi hanc dicendi prouinciam, quam me suscepisse videtis, vltro deposcerent, postremum hunc laborem declarandi amoris in illum mei, mihi potissimum dari non iniquo animo passus sum: nō quidem ut aliis dicendi laudē præripiam, sed ne mihi officii laus præripiatur: rato ad illum potissimum pertinere hoc munere fungi, qui illum in uita ardenter amasset, et in quē plurima, et maxima eius merita constitissent. Et quamquam mearum virium non inanis æstimator verebar interdum, ne imbecillitate ingenii il-

lius laudes attererem, & verborum sententiarumue ino pia singularibus uirtutibus tenebras offunderem: animum tamen ea cura laborantem ista cogitatione erigebam, quòd is, quem publice de more laudaturus sum, iampridem iudiciis uestris laudatus est: Eaque uiget apud uos rerum ipsius memoria, ut dum eas exponere, atque in medium adducere conabor, non me nullo ingenio, nullo artificio, nulla eloquentia dicentem, sed illum summo splendore summaque dignitate gerentem spectare uideamini. Et quemadmodum neque Lysippi, neque Apellis operam uehementer desideraret is, qui Alexandri Macedonum Regis uiuam effigiem inspiciendi copiam haberet: ita uos non meam, aut cuiusquã opem magnopere desideraturos putabam, qui orationis quasi penicillo eam uobis imaginem adumbraret, quam uos expressam animo cerneretis. Præcipue cum præsentis instituti esse videatur, paucis pro angustia temporis in medium allatis, hodierno funeri satisfacere: Cætera autem literæ tantorum beneficiorum memores excipient, & posteritati propagabunt. Quare vos, si mihi omnem sollicitudinem ademptam cupitis, etiam atque etiam oratos uelim, ut dum me de egregii huius uiri laudibus pauca dicentem bona cum uenia audiatis, interea loci in illius purissimam vitam, unde honestum, & bonum continenter efflu xit, oculos coniiciatis: fietque miro quodam naturæ ordi ne, ut ex eodem fonte, unde ego orationem, inde vos consolationem hauriatis. Nam cum eum, quem amissum lugetis, certis virtutis gradibus in cœlum conscendisse animaduertetis: patriam, parentes, pontificium ordinem illustrasse; & omnia, quam obrem huc missus fuerat, egre

giè confecisse, reditumque eò, unde uenerat, sibi comparasse: non amplius ut mortuum deplorabitis: sed eum ad superos euolantem æquissimis animis prosequemini & quicquid de eo fuerit factum, in meliorem partem interpretabimini.

Nam cum egomet mecum Leonis xi cuius hodie obitum deflemus, primordia considero: & egregias dotes, quas iam inde ab ortu secum attulit, omni animi acie contemplor: non possum equidem non eas uehementer admirari, & naturam in eo cum liberalem, tum uel maximè prouidam iudicare. Quæ nobis datura virum omnibus uirtutibus cumulatum, & pulcherrimis moribus excultum, uoluit illum non obscuro loco ponere, sed in summa nobilitatis luce collocare: & tacitis vocibus, immo celebri quodam præconio mortales cõmonefacere, ut relictis cæteris ex uulgo homũcionibus, oculos in eum conuerterent; & pudoris, et continentiæ, & totius vitæ sanctitatis inde exempla desumerent. Quid n. aliud generis nobilitas est, quàm clarissima quadam naturæ tuba, qua, ipsa mortales excitat, & ad uidendum aliquod opus à se mira sapientia elaboratum, continenter inuitat? Ex quo, ut turpiter faciunt ij, qui generis claritatem obliti, uitam per ignauiam et socordiam agentes, naturam, quantum in ipsis est, dedecorant, et summam illius prouidentiam in infamiam uertunt: ita hi prudenter se se gerere censendi sunt, qui suæ originis memores, optimam illam rerum parentem illustrant; et quòd se ita natos uoluerit honestissimè, non planè dormitasse, sed permultum uidisse demostrant. Leo autem xi. cum in ciuitate ortus esset totius Etruriæ facilè principe; & quæ magnitudine Imperij

rii, pulcritudine, atque opibus, cum amplioribus Urbibus esset comparanda; una autem hac insigni re uel longissimè cæteris anteferenda; quòd summorum semper uirorum, & omni bonarum artium genere præstantium mater fuit. Et (quod olim Athenis, ac Romæ tantummodo contigit) illius lingua quæ nostris temporibus suauissima, atque ad exprimendas res ornandasque aptissima habeatur, iamdudum altrix, & conseruatrix existimata est. Ibique non ex obscuro aliquo loco, sed ex ea familia genus duceret, in qua mares in Reges & Pontifices, fœminæ autem in Reginas frequenter euaderent: turpissimum sibi ducens, si plus à natura, quàm a se ipso ornamenti habere uideretur: non censuit maiorum gloriam, suam sibi faciendam; sed ex se, quæ in posteros redundaret, quærendam. Quod quam benè præstiterit, facilius nobis iudicare datum erit, si relictis ijs, quæ cum plurimis alijs illi communia extiterunt, ad ea, quæ illius præcipua sunt, considerandæ, protinus accedemus. Quod dum facio, dumque rerum admirabilium seriem, & quasi preciosas diuitias pando, peto a vobis, quod adhuc facitis, me perattentè audiatis. Habuit enim Octauianum patrem virum clarissimum, &, vt vno verbo dicam, suis maioribus dignissimum. Qui cum secundis, tum vel maximè aduersis rebus, patriæ suæ fidelem & egregiam operam nauauit. Nam cum difficillimo reipublicæ tempore Alexandri Medicis primi ducis cæde, omnia metu, et trepidatione plena essent: deque successore ageretur: neque in tanta rerum perturbatione satis dispici posset, quis nam

tantis

tantis motibus sedandis ac componẽdis præponeretur: quod non satis facile cuiquam venisset in mentem, in iuuenili ac pene puerili ætate eam virtutem includi, quæ tantis oneribus ferendis par esse posset: qui huic vrbi tuendæ præerat, præsenti sane consilio, ad hũc virum ætate grauem, prudentia plenum, & vsu rerum exercitatissimum iuerunt, eique hoc florentissimum Imperium obtulerunt. Quod ipse non tam recusauit, quàm ad adolescentulum illum deferri voluit, quem ad egregia quæque natum, & ad Mediceã familiam illustrandam, & patriam regalibus insignibus augendam, procreatum iam præsagiebat. Summamque rerum plane labantem, atque in se quodadmodo incumbentem tantisper fulsit: dum Cosmus huic Vrbi diuinitus datus humeros subiecit. Cui postea in puppi sedenti, & clauum reip. tenenti, quasi alter Nestor, semper ope, & consilio affuit; eaque optimo Principi sequenda proposuit, quæ tũ ipsi imperanti, tùm suis ciuibus imperata facientibus æque fuerunt iucunda, & salutaria. Et ne a materno genere obscurius sortiretur principium, ex Francisca Saluiata lectissima foemina, & Mariæ Magni Cosmi matris sorore natus est. Quæ cum familiæ claritate, permagnis opibus, & duobus fratribus Cardinalibus felicissima esset, in nulla tamen re fuit felicior, quàm quòd talem filium genuit. Hic me rerum ordo, & mirificus huius domus splendor monebat, vt de re familiari ipsius, quæ si non ampla, percommoda tamen fuit, aliquid dicerem. Sed veritus, ne antequam cætera audiatis, hanc sibi laudem totam fortuna asciscat, tantisper mihi temperabo, dum singula eius facta oratione persecutus, eum ita magnificè, itaque piè illis diui-

ijs,

tijs, quas à maioribus accepit, & quibus postea cum dignitate auctus est, usum esse docuero: ut nullam aliam in partem huius laudis fortuna vocetur, præter hanc; quòd in eo suis muneribus decorando, non planè cæca (quòd aliquando illi vitio datum est) sed oculis lynceis fuisse iudicetur. Verum ijs, quos dicebam, parentibus in lucem editus, cum præpotenti quadam naturæ vi, hinc patriam, illinc vero familiam; quasi geminam sibi facem præferre videret, quæ neque bona, quæ gereret, neque mala in tenebris late re paterentur: ne à uirtute minus esset, quàm à nobilitate commendatus, eam sibi vitæ rationem ineundam, & postea perpetuo seruandam iudicauit, quæ non modo omnium luce gauderet; sed intuentium etiam oculos ad se alliceret, atque animos vehementer oblectaret. Cunque ad eam ætatem peruenisset, quæ ad literas discendas idonea est: accurata parentum opera, optimis accersitis præceptoribus; Bartholomæo Agathio, & Niccolao Seruidio, quos ego honoris causa nomino; omnibus illis artibus, quæ liberali homine dignæ sunt, studiose ornari cœpit. Quo loco, si perspicax in eo ingenium fuisse dixero; si egregiam pueri indolem, si miram adolescentuli docilitatem; si incredibilem totius aetatis propensionem ad scientias cum humanas, tum diuinas percipiendas laudauero (tamet si iure id fecero) frigebit tamen non parum oratio mea; quòd magis videbor ex consuetudine, quàm ex veritate locutus. Vnum itaque tantum dicam, quod omnes, qui illius, & consequentis temporis recordantur, verum esse confiteantur: Illum grauitati apprimè deditum, ex primis studijs, quibus puerilis ætas imperiri solet, non leuissima quæque delibasse; & festiuas poe-

tarum

tarum fabellas consectatum, ea solum adamasse, quæ dum suauiter in aures influunt, animos fortasse teneros aliqua voluptate perfundunt; ingenia tamen ipsa inania, & ieiuna relinqunt. Verum ipsum peracri quodam, & supra ætatis captum, in rebus seligendis iudicio præditum, in eam tantum doctrinam incubuisse, qua excellens quædam vis, in mentem ipsius à natura insita promoueretur, & semina innatæ virtutis adolescerent, & plurimos ex se se, ac suauissimos fructus producerent. Itaque breui tantum profecit (quod ad vitam & mores attinet) vt quæ permulti ex hac Ciuitate nobiles adolescentes, ex peripateticorum, & academicorum fontibus hausta passim disputando, & ex superiori loco tradendo profitentur: ille laudabiliori quadam ratione, honestè scilicet viuendo, in se exprimeret, & prædicaret. Eam enim demum veram sapientiam iudicabat, quam mortales non ad popularem auram aucupandam, sed ad solidam gloriam apud Deum consequendam, profiterentur. Vt cum hanc primam illius vitæ partem intueor, qua plerique ad volunptates, & gaudia corporis præcipites feruntur; eumque tanta animi puritate illam transegisse video, vt nullius paulo grauioris delicti sibi gratiam fecerit; non possum non verissimis laudibus illum in Cœlum ferre; & adolescentes vulgo ab hac via longissimè aberrantes adhortari, ut eo sibi ad imitandum proposito, resipiscant, et ad honestiorem vitæ rationem se se conuertant. Eluxit autem in eo inprimis pietas, & ea, qua homo non modo animantibus, sed reliquis hominibus præstat, religio. Nam cum diuinæ lucis radio (ut credi par est) intelligeret, humanam mentem in terris semper anxiam, & solicitam esse,

in vna

in vna autem Dei, ad cuius imaginẽ facti sumus, cognitione facile acquiescere: duplicẽque esse illius veri summique boni consequendi viam: naturæ unam, qua longo sed iucundo circuitu, per res creatas, quasi per totidem gradus, ad Deum procreatorem: religionis alteram, qua fidei ductu, minore labore, ad Deum procreatorem, atque unà Redemptorem facile perueniri potest: Priorem illam minime despicatus, posteriorem hanc ad salutem comparandam, et ad veritatem agnoscendam aptiorem cupidius amplexatus est. Vidensque Ecclesiam Matrem totius Sanctitatis magistram: atque in ea tanquam in speculo quodam lucenti reflecti imaginem Cœlestium exercitationum: piisque cantibus, & uariis ritibus atque institutis illa, penè omnia, quæ à beatis spiritibus in Cœlo fieri creduntur, pro humanis tamen uiribus recenseri: diuinarum rerum illecebris captus, quoties illis astaret, incredibile est, quanta delectatione ipsius animus pasceretur. Et siue mane sacra de more Christiano peragerentur; seu uespertinæ laudes decantarentur; seu alia quæuis exercerentur salutis nostræ misteria; cæteris curis posthabitis in illis tantum rebus contemplandis defixus inhærebat; et quæ alii negligenter obseruant, pergrato animo, atque intentis oculis peruestigabat. Neque enim ea, quæ Christus Jesus sponsæ suæ, matrique nostræ seruanda reliquisset, quòd multis præceptis abundarent, oscitanter spectanda existimabat. Cumque se inde domum recepisset, cogitationem earum rerum minimè deponebat: Sed tacita mente, & familiaribus persæpe colloquiis omnia agitando, sanctissimum caritatis lumen concipiebat, piisque meditationibus, bonorum omnium copia se

se locupletabat. Vnde enim, nisi ab hoc perenni omnium mu-nerũm fonte, prudentiam hausisse iudicandus est, quam semper praetulit maximam in rebus administrandis, & ad suum finem dirigendis? Vnde uitae sociam, & morum honestissimorum parentem optimam temperantiam, qua, expulsa perturbationum caligine, mens illustrata, superni luminis splendore perfundebatur, & ad reliquas uirtutes percipiendas se tam facilè praebebat? Iustitiam autem, qua nihil ad suam, omnia ad alienam referens utilitatem, humanae societatis iura tam sanctè conseruabat, unde didicisse existimandus est, nisi ab aequissimo hoc rerum omnium moderatore? Quid fortitudinem; qua excelso animo humana despiciens, & pro nihilo putans, spes suas in Deo collocatas habebat, non nè illinc potissimum esse profectam cẽsere aequũ est? Postremo animi magnitudinem, atque constantiam, patientiam, & moderationem, reliquasque uirtutes hominibus tam gratas & acceptas, ab altissimo illo, perfectissimoque exemplare desumptas, & in eo ad uiuum expressas facilè iudicabit is, qui eas diligenter intueri, & accuratè examinare uoluerit. Vos, qui tam uberes fructus inde percepistis, ponite cogitationem in hac re, & pulchritudinem illarum, beneficentiamque considerate: intelligetis profectò, eas omnes, dum se ad bene de genere humano merendum tã propensas ostendunt, Deum sibi potissimum auctorem confiteri. Quod nisi vererer, ne nimis mea vagaretur oratio: quamuis de viro Sanctissimo, hoc sacro loco, Sacerdos dicam; vnum tamen, aut alterum, ex seculi sapientibus, quos antiquitas admirata est, huc aduocarem: & vitam moresque illorum ad exemplum huius nostri aestimarem

statu-

statueretis profectò, eas omnes, quas commemoraui virtutes, in illis etiam sapientiæ amatoribus enituisse: Verum maiori quodam latiorique lumine, se oculis nostris videndas effundere ab ijs, in quibus diuino caritatis igne accenduntur. Et ne quis forte arbitretur, me illius laudandi studio inflammatum, modum migrare; & quod crebro fieri videmus, ardentiori amore deceptum, ea, quæ ego solus, et nemo alius viderit, in eo ponere, & celebrare; reliquum vitæ spacium ab eo summa dignitate confectum, & vobis omnibus spectatum & probatum oratione percurram, & quæ fusa & dispersa sunt, breuitate collecta, & tanquam in tabulam relata, vobis iucundo intuitu relegenda, & recognoscenda proponam. Et primum cum iam adolescens esset, atque acribus stimulis impelleretur ad decus, atque ad eam dignitatem, quæ esset cum Dei laude coniuncta: defixit curas, & cogitationes omnes, vt, quàm pulcherrimum, atque honestissimum institueret vitæ genus. Permultum enim ad optimum finem interesse iudicabat, quale sibi quisque in rebus principium sumeret. Cogitanti itaque, & omnia subtiliter perquirenti, non vna aliqua aspectu grauis mulier, atque venusta, ut Herculi apud Xenophontem; sed ei diuina gratia, affulsit, quæ commodum illud, & plenum dignitatis iter monstrauit, quod deinde ad summam laudem, & ueram felicitatem euasit. Nam cum eo tempore uideret, ad equestrem militiam, quam paulo ante magnus Cosmus ad inferum mare à Piratis lybicis purgandum, diuino consilio instituerat, & diuo Stephano Pisis dicauerat, iuuenes nobiles, totius Etruriæ Florem, & in quibus esset aliqua indoles virtutis, passim confluere, atque certatim

tim nomina dare: eamque satis honestis ductam principijs, maiora in dies incrementa suscipere: ipse quoque inter eos equites ascribi voluit. Aduentuque suo, non modo cœtum illum iuuenum eximium, & decorum splendore auxit, sed magnis etiam opibus locupletauit. Bonam enim magnamque partem illius patrimonij, quod à maioribus acceperat, loco attribuit, & summa liberalitate commendauit. Et, ne una cum uitæ cursu, tanta, & tam egregia in Deum atque homines uoluntas finem haberet; perpetuis temporibus instituit, ut unus semper aliquis ex suo nobilissimo genere ortus, in eum locum sibi succederet, qui uitam pro aliena salute ponere non recusaret; ferosque ac barbaros hostes litoribus nostris imminentes, & Christianis hominibus direptionem, uastitatem, ac fœdam seruitutem minitantes procul abigeret, patriamque & uniuersam oram Italiæ maritimam à graui incendio, teterrimaque peste uendicaret. Neque ipse in tam pulchro pioque munere operam suam desiderari passus esset, nisi Deus Opt. illum ad maiora negocia in sua Ecclesia gerenda accersisset. Magnus enim Cosmus, & Serenissimi illius filij Franciscus, & Ferdinandus, optimi ingeniorum æstimatores, cùm præclara iam pridem de eo iudicia fecissent, atque in illius planè regijs uirtutibus, non nihil præsidij ad gerendum Imperium posuissent: gentili affinique suo pulcherrimam occasionem inuenerunt, qua & commoda illius opera uterentur, unoque tempore ei facilem uiam ad maiores honores patefacerent. Nam cum ex omnibus rebus, quas Ciues reip. præstare possint, legatio grauissima habeatur; nihilque omnino sit, in quo Principes alienam opem tantopere requirant: eosque oporteat uigilare

magis; Quod ex unius hominis ingenio, de reliquis Ciuibus, deque Principum ipsorum iudicio mortales æstimant, peridoneum illum iudicarunt, cui tanti ponderis Prouincia recte concrederetur. Eumque non in Gallia, non ad Hispaniarum, nouique & adiecti orbis Regem Philippum, non postremo ad Cæsarem, oratorem miserunt: sed ad eũ, qui Christi Dei vicem in terris gereret; ad quem propter hominis sanctitatem, atque vrbis maiestatem, nihil non perfectum, & numeris omnibus absolutum mitti oportere intelligebant; rati se ex ea re dignitati atque vtilitati sui Regni egregie consulturos. Quod sapientissimos Principes non fefellit. Ubi enim in eam Urbem Imperij & veræ religionis sedem peruenit, quasi generosa stirps, quæ optimo quidem solo nata, sed aliena ope inferti'iorem, & quam magis amet, tellurem translata, sic repentè floruit; atque ex eius probitate, tanquam ex virenti rosarum fasciculo (vt ipse de se eleganti pictura fateri solitus est) is odor afflari cæpit, vt pulchritudine, et suauitate, omnium ad se ora conuerterit. Et qui vetustate familiæ, Principum, a quibus mittebatur, gratia, & legationis ipsius munere, omnibus commendatus accesserat, breui effecit virtute, atque honestate vitæ, vt omnibus nón minus commendaretur. Itaque homines, integerrimos eius, & modestissimos mores intuentes, minus admirabantur, si sub iustissimo huius domus imperio, populi totius Etruriæ florentissimi, nunc tam lætè & tam feliciter vitam agunt: atque olim si tres ex eadem familia præstantes viros Pontificia dignitate fulgentes Roma suspexit, atque orbis terrarum veneratus est. Ex eoque tempore intellexerunt, fuisse florentinos ea

ingenij

ingenii vi, ac magnitudine, quæ passim celebrata est: quæ que olim permagnos reges, & Illustres Principes impulit, vt, omissis suis ciuibus, florentinorum opera in legatione potissimum vterentur. Inter cætera enim exempla, quæ Urbem nostram illustrare possunt, illud recensetur; quòd Bonifacio VIII. Pont. Max. cum ex duodecim varijs orbis terrarum regionibus, totidem oratores ei nuper ad pontificatum euecto de more gratulatum missi essent, omnes eos florentinos esse animaduersum est. Extatque Pontificis illius locupletissimum testimonium istam rem admirantis, et summa laude prosequentis, et in magna Antistitũ frequẽtia affirmãtis florentinos in rebus humanis quintum esse elementum. Acerrima enim hæc ingenia, ad grauissima quæque onera subeunda valde apta & accomodata esse tunc intellexerunt; et quod post hominũ memoriam, nulli obuenit Ciuitati, atque omnibus incredibile videbatur, tanta huius viri sapientia inspecta, facile crediderunt. Consecuta autem fuerunt eiusmodi tempora, quæ, vt eximiam illius prudentiam postularunt, ita legationem longe illustriorem reddiderunt. Eo enim Romæ oratore, Cosmus ob præclara merita, a Pio V. Pont. Max. atque sanctissimo, regia corona, & magni Ducis nomine honestatus est. Vt ipse diuino quodam consilio ad illa secula reseruatus videretur, cum in patriam, atque adeo in familiam, noui & inusitati honores inferrentur. In qua quidem re, vt omittam singularem ipsius in eo negocio conficiendo diligentiam, illud omnibus insigne, atque in primis memorabile videri debet: quanta animi magnitudine inter reliquos illius aulæ oratores, recentem istam dignitatem tutatus sit. Nam cum decus illud, quo Duces

nostros

nostres auctos esse dicebam, splendesceret magis, quàm vt reliqui generosi Italiæ Principes æquo animo ferre possent; atque ex æmulatione contentio, interdum etiam paulo grauior tempestas esset excitata: in magnis fluctibus, crebrisque scopulis ita cursum tenuit, vt nihil offenderit, nusquã incurrerit; atque omnibus in rebus, ita se moderatum præbuit, ut nihil cuiquã præripuisse, sed meritum patriæ locum conseruasse uideretur. Quod quanti in oratore faciendum sit, uel ex hoc cognosci potest: quòd qui in legationis munere obeundo, speciosio aliquo dicto, seu facto, patriæ dignitatem & splendorem tutati essent, maiorem propè laudem, quàm qui hostem deuicisset, maioremque gloriam domum reportabant. Thebani, Ismeniæ ciui suo maximos honores publicè decreuerunt; quòd cum ad Persas legatus missus esset, uideretque eum Regem, ex uetere illius gentis instituto, neminem ad se legatum admittere, quin ad genua ipsius adoraturus prouolueretur; eumque honorem, qui uni Deo debetur, superbius flagitare (nequid de patriæ dignitate remitteret) ad eum ingressurus, ãnulum sibi de industria è digito elabi siuit: utque illum colligeret procumbens, & speciem adorantis præbens, impudentiam hominis magnanimo inuento elusit, & nulla regis offensione, uoti compos domum rediuit. At nos diuinam huius uiri prudentiam non admirabimur, omnique honore dignam iudicabimus? qui non apud regem propter superbiam, maiores honores humana condicione poscentem, sed apud Pontificem propter humilitatem, & locum, quem in terris tenet, maiores honores humana condicione merentem, non ueterem dignitatem dolo retinuit, sed nouã consilio stabiliuit,

omnes

omnesque discordiarum fibras ita conuulsit, ut nullum odium, nulla simultas, sed summa gratia, interdum etiam affinitas inter hos Principes fuerit conflata. Ex quo magno retinendæ beneuolentiæ, & conseruandæ gratiæ & dignitatis artificio, singularis prudentiæ laudem apud omnes tulit; magno Duci, & Ferdinando tunc Cardinali, in cuius oculis ea gerebantur, suam fidem & diligentiam probauit; & Pontificis animum ita sibi deuinxit; ut nemo ei, dum uixit, carior fuerit; nemo ad eum faciliores aditus habuerit; nemo cum eo frequentius, & familiarius sermones instituerit. Tantaque in eum beneuolentiæ, & miræ propensionis præclarum aliquod signum apparuisset, nisi omnium uoluntate celerius, in summa rerum expectatione, optimus Senex diem suum obijsset. Sed ò quàm bonis omnibus æquè iucunda atque amabilis uera uirtus est; quàm numquam humana studia desunt ijs, quos diuinæ gratiæ & benigntiatis aura comitetur. Gregorius, qui proximè Pio in Pontificatu successit, non minore illum charitate complexus est: maiores certè quidem amoris significationes dedit. Qui præter cæteras eximias uirtutes, cum ardentem iuuenis animum ad religionem uideret, perpetuæque ipsius in Romanam Ecclesiam obseruantiæ præcipuum aliquod præmium deberi statuisset, non distulit diutius solutionem: Sed quam primam Deus obtulit occasionem, eam arripuit, illumque Pistoriensi Episcopatu decorauit. Quod munus ipse aliquandiu prudentissimè gessit, multaque summa cum laude, & gentis illius admiratione ordinauit, & iucundam nominis sui memoriam Pistoriensibus reliquit. Clarissimaque adhuc cernerentur in ea Ecclesia

bene-

beneficentiæ ipsius monumenta: si ea, quæ instituerat, ad exitum perducere potuisset, neque interim diuina eius virtus ad maiores honoris gradus ei aditum patefecisset. Vigilantissimus enim Pastor, qui à præclaris illius operibus oculos nusquã dimouebat, cum ea maiore theatro digna iudicaret, mortuo interea Antonio Altouita, de summa Principum nostrorum voluntate, Florentinæ Ecclesiæ, quam Romani Pontifices semper egregiè caram animo habuerunt, illum Archiepiscopum renunciauit. Hic ego in summa magnarum rerum copia, quæ singulæ ad se orationem meam conuocant, planè consistere: & cum omnes per temporis angustiam explicare non liceat, quas potissimum vobis spectandas proponerem, hæsitarem; nisi me præstantia quædam, & splendor earum mirificus, ab huiuscemodi dubitatione vendicaret. Ut enim minima quæque luculenti scriptoris litera satis esse potest ad excellentiam illius indicandam: & eximij pictoris opus, licet pusillum, maiorem in se venustatem, & apud alios admirationem habet, quàm maxima reliquorum: ita minimum quodque huius viri factum, in suo genere valde perfectum, si cum aliorum factis comparetur, magnopere excellere videbitur. Qui vbi se Dei benignitate, ad eum dignitatis gradum elatum aspexit, eoque loco situm, ut omnia facta ac dicta patriæ suæ carissimæ suauissimæque rectè atque honestè viuendi norma, et exemplũ futura essent: vt quod sibi datum erat ad honorem, ad Dei gloriam, & ad suam suorumque ciuium salutem conuerteret: cœpit se se ad omne caritatis & beneficentiæ genus excitare. Periclem Atheniensem accepimus (liceat mihi ad altos huius animi motus indicandos, cum his antiquitatis vi

ris, interdum illum comparare) cum patriæ pratura fungeretur, quoties clamidem induebat, se his verbis admonere solitum. Vide, Pericle: Græci sunt, quos regis, Athenienses, tuique ciues. At Præsul noster, quoties se dignitatis insignibus, sacrisque indumentis exornabat, eo ardentiori studio, ad ciuium suorum curam se hortabatur; quo, ad cætera officia, quæ patriæ debentur, illud accedebat etiam, quòd illam sibi diuinitus traditam, ei, qui non corruptibilibus auro et argento, sed precioso cruore in cruce redemerat, restituendam existimabat. Quem diu Romæ commorantem, non plurima, grauissimaque negocia, quæ publicè substinebat, non ingens clientium numerus, non summa hospitum frequentia, quibus domus ipsius semper floruit, cohibere potuerunt, quin ad nos quotidie animo aduolaret, et si quid sensim de via deflexisset, ratione restitueret, ac confirmaret. Neque hìc tantum de egregia illa uoluntate loquor, quæ curas consiliaque omnia ad nostram vtilitatem referebat, non de singulari prudentia & vigilantia, qua absens suæ diœcesis res ita ordinabat, ut nemo præsens suam paruulam domum: Sed de illustrioribus illis operibus, quibus non modo gregi suo beneuiuendi, sed amplioribus Sacerdotibus et Antistitibus benè regendæ Ecclesiæ exemplum præbere potuit: ut non sine diuino consilio factum videretur, ut in Romana curia diutius uiueret; quo cæteris esset, vnde integritatem, ueramque administrandæ Ecclesiæ rationem haurirent. Nam cum animaduerteret, maledicos quosdam, qui minima quaque re ad reprehendendum contenti sunt, interdum, si non iustam, commodam tamen (vt sibi videntur) atque opportunam occasionem habere; quòd opulentio

res sacerdotes Ecclesiæ diuitijs, quas in pauperum usum, templorumque ornamenta collatas oportuit, ad sæculi splendorem, & luxum abutuntur; huiusmodi hominibus omnes maledicendi causas præcidit. Et dum longè à sua Ecclesia detentus est, tantum abfuit, ut quicquam ex eius fructibus ad se conuerteret, vt etiam ex suo patrimonio multum ad templa suis sacerdotijs adiuncta sarcienda erogarit; et pia liberalitate docuerit, non humanam, sed diuinam eorum sapientiam fuisse, qui ab initio magnis opibus Ecclesias locupletarunt; eamquem rem plurimum prodesse posse, nisi in ijs, qui illas possideant, culpa resideat, qui, quod ad salutem institutum erat, ad labem & perniciem interdum conuertunt. Validum enim corpus, si oculis careat, grauius offendere, quàm imbecillum; perspicuum est. At non iccirco corpori uires adimendæ sunt, sed oculi desiderandi, & quo ad eius fieri potest, quærendi, quo sua munera præclarè obire possit. Diuinum autem hoc Ecclesiæ corpus, etiam copiosis diuitijs instructum, plurimas utilitates humano generi gignere posse, si Christiana pietate & caritate, quasi geminis oculis regatur, religiosissimus uir exẽplo suo docuit. Ex quo nullus locus ita horridus, nulla ædes sacra usque adeo sorde, & squalore obsita fuit, quin simulac primum in ipsius manus deuenerit, continuo immutata facie, omnique uetustate deposita, splenduerit. Cuius rei posteritatem testem habebit, cum florentinæ Curiæ ædes ad successorum commoditatem, atque urbis ornatum constructas, ac templa Romæ eleganter ornata uidebit. Vt liceat nobis eo quoque nomine non parum gloriari, nostra etiam tempestate ex hac urbe fuisse, qui non solum patriam decoris ædifi-

cijs auxerit, sed Romanis etiam delubris ornamentum & splendorem addiderit. Sed quid mirum? Si ex ea familia erat ortus, quæ eo studio semper delectata est; priscisque temporibus Venetias, Ierosolimam, atque adeo terrarum orbem Xenodochijs, templis, & varijs ædificijs decorauit. Præterea cum ad Tridentini Concilij præcepta se totum conformasset, et ad eiusdē normam suos dirigere statuisset, quæcumque absens prouidere potuit, summo studio, ac diligentia curauit. Sacerdotes enim vt decenti habitu ornati incederent, suoque gregi præsentes inuigilarent, præcipuè mandauit. Et, ne quid sua Ecclesiæ deesset, qui primus locus in ea uacauit, sacerdoti Theologiæ literis ornato in perpetuum addixit, qui singulis festis diebus nostræ legis præcepta explanaret, & populum in veræ religionis studio atque officio contineret. intereaque illud concionandi munus doctissimis viris mandauit, qui complures annos cœlestis doctrinæ pabulo fideles nutrierunt. Cumque ad omnes homines, qui cæteris præsunt, et potissimum ad Antistites pertinere putasset, iustitiam colere, constantique voluntate cuiusque meritis honestisque laboribus dignum præmium constituere; operam dedit, ut suæ dioecesis Sacerdotia ijs in primis conferrentur, quos vitæ integritas, honesti mores, ac magna doctrina commendaret: inque illis conferendis, qualem æquitatem, atque animi probitatem præsetulit? Consueuerunt cæteri Antistites, qui æquissimi sint, si quid huiusmodi faciendum sit, dum plurimi petant, expectare; atque ex eis, qui dignissimus uideatur, illi tribuere. Jn qua quidem re, ut reliqua rectè se se habeant; illud certè quidem incommodè eueniat necesse est,

quòd

quòd aliqui interdum haud indigni prætereantur, qui propter uerecundiam & pudorem petere non audeant. Verum is, cum intelligeret, qui maximè digni sunt, eos modestissimos esse. & ut quisque Christianis uirtutibus ac moribus instructissimus est, ita se his muneribus indignissimum iudicare: non illis, qui maximè peterent dandum, sed ijs, qui maximè meriti essent, offerendum iudicauit. Archelaum audiuimus, cum accumberet, atque ex astantibus quidam eximiæ pulcritudinis poculum poposcisset, illud è mensa sublatum alteri, his verbis tradidisse. cape. tu enim, qui accipias; at hic, qui petat dignus est. Sed noster Antistes, pari in largiendo alacritate & animi æquitate usus, spectatæ uitæ sacerdotes semper elegit; omniaque sponte, ac tali iudicio distribuit, ut ipsi eodem tempore suæ uirtutis testimonium accepisse uiderentur. Quo sapientissimo facto æquissimoque est assecutus, ut sua dioecesis optimis nunc sacerdotibus floreret, & in reliquum tempus, iuuenes ad uirtutem redderentur alacriores. Illud enim passim fieri uidemus, ut homines libenter ad ea studia ferantur, quibus Principes delectari animaduertunt. & (ut præclarè sentiebat Cato) quemadmodum infectores, eum potissimum colorem uestibus inducunt, quem ditioribus, à quibus maius pretium expectent, gratum esse cognoscunt: ita adolescentes ea magno studio discere consueuerunt, quæ apud suos Præsules maiorem dignitatem & laudem habeant. Quid? eius studium, quantum semper enituit in omnes, quos Deus ipsius fidei commisisset? quis unquam Romam honestis de causis profectus est, quin fuerit ab eo peramanter exceptus, & quibuscumque opus fuerit, studiosè commendatus?

tus? Quod genus hominum, quæ Sancta Societas, qui sacer Virginum cœtus ex illis locis quippiam desiderauit, aut per literas petiit, quin eo impulsore & deprecatore facilè impetrarit? Dies mehercle nullus intercessit, quin aliquod benignitatis suæ lumen in nos effuderit; atque ex sacratissimis fontibus, immo uberrimis fluminibus, aquas, ad abluendas animarum sordes, ad nos deriuarit. Ac ueluti amatissimus Parens, cui procul à suis laribus uitam degere necesse sit, de suauissimis filiolis assiduè cogitat. & ad leniendum eorum desiderium, si quid rerum preciosissimarum in illis locis, ubi ipse uersatur, prouenit, quod in patria haud nascatur, diligentissimè conquirit, & familiæ suæ uaria, & speciosa munuscula mittit: ita is, ex locupletibus illis thesauris, quorum Roma feracissima est, quotidie ea munera ad nos mittebat, quibus non corpora, sed animæ varijs delicijs ornatæ, non in hominum, sed in Dei conspectu pulchriores apparerent. Vobis, patres amplissimi, qui omnia ipsius dicta ac facta pergrato animo contemplati estis, perspicuum est, quanta salutis nostræ cupiditate, perpetuo flagrauit. quot rationibus, diuitibus, pauperibus, claris, obscuris, viuis denique omnibus. viuis? immo & defunctis amatissimè consuluerit: qui sanctum illud, verèque pium diploma primus Roma abstulit, vt si quis ad aram diui Antonii in sinistra parte huius amplissimæ ædis sitam, pro defunctis rem diuinam faceret, vnico sacrificio animam, ex iis locis, vbi humanæ labes igne purgantur, protinus erueret, et ad beatissimam sempiternamque cœli sedem euocaret. Qui mos sanctissimus deinde, ad alia complura huius ciuitatis templa pertransiit, & multis

quotidie iter ad Cœlum expediuit. Quos omnes eum hodie aduenientem beatis sedibus læto animo excepisse: & quòd sibi celerius, quam putarant, perpetuæ lucis dies affulserit, illi potissimum acceptum retulisse crediderim. Quibus quidem piis officiis, Gregorio Pont. ita gratus erat, ut cum Romanæ Ecclesiæ senatum, multorum morte imminutum aucturus esset: eum vnà cum quibusdam aliis, totius Europæ Illustrissimis viris, è quibus plures Pontifices extiterunt, in Cardinalium numerum cooptarit. In qua re, vnum illud in primis laudandum occurrit, quod ad singularem hominis modestiam indicandam plurimum valet. quòd cum magnæ dignitatis, quæ totam vrbem lætitia compleuerat, nuntii ad eum perlati essent, non credidit. eorumque, qui primi gratulatum aduenerunt, voces & salutationes reiecit. Videlicet ille, qui per totam vitam sic virtutem coluerat, vt omnibus honoribus dignissimus videretur, ita modicè de se sentiebat, vt de honorum insignibus ne cogitaret quidem. Quæ animi moderatio tantum abest, ut hominum studia quicquã in se retardauerit, vt ea in dies magis magisque auxerit, nullusque siue è Cardinalium, siue ex aliorum clarorum virorum numero reliquus fuerit, quin eo tempore, se honori illius obtulerit, & varia lætitiæ & beneuolentiæ signa in eum ostenderit. Nam et si ea erat de eo hominum opinio, ut nulli non honores illi iam pridem deberentur; postquam tamen ea res in vulgus emanauit, tanta repentè uoluptas omnium mentes occupauit, ut utrum illi felicius euenerit, non facile dixerim. Magnum siquidem est, ob eccellentes uirtutes ad eum honoris gradum esse sublatum, qui proximè accedit ad summum; uerum illud longè ma-

gè ma-

gē maximum : tantam consecutam esse approbationem, ut constanti omnium sermone affirmaretur, perpaucos omnibus sæculis in hunc amplissimum ordinem esse ascitos, in quibus Pontificis iudicium magis enituerit. Præ cæteris uerò Pontifex, illa re se lætum præbuit. eumque Romæ permanentem familiariter complexus est; et paulo post in patriam redeuntem liberalissimè prosecutus, nihil, quod ad eum ornandum, mirificumque amorem in illum ostendum ualeret, prætermisit. At ille postquam tanti uoti compos factus est, diemque optatissimum vidit, quo florentinam Ecclesiam, præsens administraret, nullum amātissimi parentis in filios officium reliquum fecit. Nam etsi è multis, quæ nobis absens præbuerat amoris indicia, compertum esse poterat, maiora, cum rediisset, caritatis exempla in nos edenda esse: vicit tamen omnium expectationem; & maius quoddam opere præstitit, quod omnium mentes tenere, & suorum ciuium, & sacerdotum animos ad beneuiuendum, maioreque obsequio Deum colendum inuitare posset. Qui cum ex sacris literis didicisset, esse diris maledictionibus obnoxium eum, qui opus Dei faceret negligenter; atque in ea re uulgo intelligeret, sacerdotes peccare, et ad interitum populos adducere; vt ei malo celeriter occurreret, mirificum illius rei se exemplum præbuit. & dum Pontificiis insignibus ornatus est, totus æstuans caritate, ita altaribus astitit, ut sacrosancta misteria, quæ quasi velis quibusdam, atque inuolucris obtenduntur, mortalium oculis reuelarentur, et fidelium cogitationes, ad ea, quorum illa erant signa, facilè attollerentur. Hìc ego vos, optimi sacerdotes, quos sui itineris comites, & operum administros habuit, testes ap-

pello

pello. Hic vestras, ciues, mentes, ad eorum, quæ vidistis, memoriam reuoco. Frequentes enim templa complestis, eique sacrificium Deo offerenti interfuistis. Ecquis vnquam aut apparatu splendidior, aut actu grauior, aut verbis rebusque omnibus consideratior. vt quicquid ex sacris libris legeretur, audientium aures non præterueheretur, sed eorum animis penitus insideret? Henricum IIII. Galliæ Regem, quo tempore apud eum legationem obibat, cum illum sacris operam dantem videret, maiestatem admiratū dixisse ferunt, præclarè secum actū iri, si æquè ipse in armis, atque hic sacris vestibus, conspicuus esset. Sub idem tempus, cum more maiorum Diœcesim suam lustrare decreuisset multis de causis à sacris huius vrbis virginibus, quarum præcipuam semper curam gessit, consilioque & auxilio maximè indigere intelligebat, sibi inchoandum iudicauit. Atque eo itinere summæ diligentiæ vir complures menses consumpsit. et dum earum necessitates explorat, eisque summo studio, & diligentia prospicit; dum minimæ cuiusque postulatis aures accomodat; dum ad ea, quæ Deo spoponderant fideliter præstanda suis verbis inflammat: earum animis fixum testatumque reliquit, præstantem in se diuinam miserationem fuisse, quæ miseris & calamitosis temporibus tam officiosum patrem, tam uigilantem & commodum pastorem comparasset. Et si quid vnquam (quod perraro accidit) durius imperare visus est, quod illis euenire consueuit, qui alienis sensibus aduersantur. postquam tamen se non illius voluntati, sed diuinis legibus parere intellexerunt, religiosæ mulieres acquieuerunt, & vna, aut altera excepta, leuissimo Christi iugo ceruicem subdiderunt,

runt; quòdque eius dicto audientes fuerint, alacriores in dies apparuerunt. Qua autem ratione egestati illarum subuenerit, audire operæ pretium est. Nam præterquam quòd earum muneribus, illis etiam, quæ vulgo in sacrandis virginibus, Episcopis mitti solent, constanter abstinuit; salutique ipsarum, quàm voluntati, aut consuetudini magis seruiens, ut illi impensæ, quæ magnum quotannis censetur uectigal, parcerent, imperauit: ex suis etiam opibus aliquid sæpius ad eas transfudit. In qua re liberalitatem magis, quàm uires & facultatem suam respexit: qui centum aureos diui Balthasaris cœnobio, atque aliis etiam non minorem numorum summam sæpius fuit elargitus. Quin etiam tanta resedit ipsius animo charitas, ut ubi eius uires deficerent, ipsarum causa alienam misericordiam implorare non erubesceret. Nam cum eas rerum necessariarum penuria premi animaduerteret; atque in dies magis magisque annonam ingrauescere; ad secretiora illa sodalitia, ad quæ ciues sub vesperum ad laudandum Deum conueniunt, frequenter adijt. ibique temporum acerbitatem deplorando, atque illarum inopiam miserando, & omnibus ardentissime commendando effecit, vt singula Ciuium sodalitia, singulas sacrarum virginum familias in clientelam reciperent; atque ita protegerent, vt in summa rerum caritate, non magnopere penuriam senserint. O miram huius viri prudentiam ac bonitatem. quæ vno eodemque tempore miseris mulieribus, omnique auxilio destitutis, uitæ non incommodè degendæ, & suis ciuibus exercendæ charitatis diuinæque gratiæ promerēdæ mirificam occasionem præbere potuerit. Reliquæ prouinciæ partem post aliquod tempus quomo

do circuierit, nemo est quin nesciat. Ita enim fuerunt omnia ab eo circumspecta, vt quàm minimo sacerdotum dispendio summus splendor, atque ornamentum sacris locis additum videretur. Neque tamen, dum hæc summo studio & cura gerebat, non reliquis grauioribus Christianæ Reip. negocijs sedulo incumbebat. Quinque enim Pontificibus procreandis (namque ipse sextus creatus est) interfuit. Atque ibi, quid rectus animus, ac Deo coniunctus posset, semper indicauit. Omnis enim ipsius voluntas, omnis cogitatio, tota denique mens vniuersa Reip. Christianæ vtilitatem solum respiciebat. Itaque diuino numine afflatus, cum reliquis purpuratis patribus, è tanto Antistitum numero, eum semper elegit, qui miseris tẽporibus, Romanæ ditionis fines ab impuris latronibus esset liberaturus, & perditis, ac propè desperatis rebus properam salutem allaturus. Florentiam reuersus (quoties tamen reuersus est) quæcumque euigilanda fuerunt, sedulo semper euigilauit: nullamque horam sibi a labore, aut ab aliqua de suo populo cogitatione uacuam reliquit. Charitas enim & quæ functionem operis perficit, voluptas, eum quiescere nõ patiebantur. Diœcesis synodũ, quoties expedire visum est, Florentiæ indixit: Sacras ordinationes frequenter habuit: sanctumque chrisma fidelibus, statis temporibus contulit: horas, quas canonicas appellant, ad meliorem ritum reuocauit: & quod ego in maximis vtilissimisque illius rebus ponendum puto, eos sacerdotes in hac æde instituit, qui audiendis confessionibus assiduè præsto essent: ne qua mora fieret, siquis sacrosanctis dominici corporis epulis accumbere vellet. Qui deinde, ara illa, qua admirabile sacramentum asseruatur, splendidè exorna

ia, multos ad panem Cœlitus dilapsum quotidie comedendum excitarunt. Et ne quid in ea persona, quam sibi Deus imposuisset, desideraretur; Sacros concionatores quotannis, sub magni ieiunij tempus conuocabat: eosque optimis præceptis, temporibus accommodatis, & suo populo pernecessarijs instruebat. Et Ciuitatis medicos quandoque ad se accersi iubet. Monet ne in pellendis morbis, plus spei in sua arte, quàm in diuino auxilio ponant. Meminerint esse sibi pijs sanctionibus ordinatum, ut simul ac primum ægros inuiserint, hortentur, atque adeo iubeant, vt animæ labem per confessionem expient: neque vltra ad eos reuertantur, nisi id audiant esse factum. caueant, ne dum corpori, quæ pars cum belluis nobis communis est, falsò plerumque consulunt, animæ qua proximè ad Deum accedimus, salutem negligant: teterrimi hostis artes aperit, extremæ vitæ mortalium potissimum insidiantis; videant etiam, atque etiam, ne dum ægros falsa spe plerumque lactent, interea se una cum illis in impurissimas patentissimasque illius fauces intrudant. Atque hæc cum ageret, non alio quodam fucatoque orationis genere, sed simplici atque humili vtebatur: quod in audientium pectoribus, non acres aculeos (ut de Pericle traditur) sed suauissimum diuinæ caritatis ardorem relinqueret. Leosthenis uerba Phocio cipari ſſo comparabat, quod pulcra sublimiaque essent, fructum tamen nullum haberet. At Præsulis nostri oratio, fructibus, quàm frondibus vberior, vt primum e pectore ipsius emanabat, prudentiam, pietatem & charitatem redolens, longeque maiorem vtilitatem audienti, quàm sibi dicenti pollicens, mirificum amorem illius rei, quam petebat,

bat,

bat, efficiendæ omnibus iniiciebat: eoque maiorem auctoritatem habebat: quòd non cæteris imperabat, ipse nihil efficiebat. in huiusmodique parum æquos homines, diui Pauli in Corinthios, aut Cleantis in peripateticos dictum usurpabat: esse sacro æri, siue liræ persimiles; quæ cum alijs benè, & suauiter sonent, se tamen non audiunt. Verum ipse priuſ se intus recta ratione cōponendo, et ad Dei voluntatem nutūque totum fingendo, quam conceptam animo habebat, rectè factorum dictorumque armoniam voce promebat, atque omnibus audiendam seruandamque mandabat. Et licet omnia ipsius facta ualde illustria honestaque sint: illud tamen, quod proximè ei diuinitus in mentem venit, præcipua quadam charitatis laude commendatum est. Nam vt erat ad benè de omnibus merēdum propensus, cum successorum commodis, pluribus rationibus prospexisset; vt illis etiam, qui sibi in officio antecesserant, aliqua ratione consuleret, mortuis Episcopis atque Archiepiscopis florentinis, postridie illius diei, quo Ecclesia mater omnium defunctorum memoriam recolit, suis opibus illa parentalia instituit; quæ solemni pompa, ac magnifico apparatu superioribus annis inchoata, perpetuo essent duratura, & posteris tantæ probitatis exempla datura. Quod ingentis amoris argumentum, ubi diligenter intueor, statuo nihil ad pietatem illustrius, nihil ad gloriam consequentis temporis splendidius fieri potuisse; cæteraque illius facta cum tempore concertatura; unum autem hoc insigne caritatis opus vel æternitati coæuum esse futurum. Huic affine, generecque simile, sed dignitate præstantius est, quod sum dicturus. Nam cum videret Bernardi Parmensis Episcopi, florentini

tini

tini ciuis, ex vetustissima Vbertorum familia nati, atque ob admiranda opera in sanctorum numerum relati, memoriam foris sanctissimè coli, Florentiæ autem, unde originem habuit, nullum adhuc ei honorem haberi: prudētissimè et religiosissimè sāxit, ut pridie Non. Decēbris, natale illius duplici officio in sua Ecclesia ritè celebraretur. Quo laudabili pioque instituto, quot res fuerit consecutus, quàm se studiosū uirtutis, quàm in suos ciues benignū præstiterit, quot suo populo commoditates pararit, nemo non uidet. Laudatur quorundam Ciuium industria, qui nostra tempestate, studio uirtutis incensi, nobilium uirorum, Petri Victorij senioris, Antoni Iacominij, Manni Donatij, Iuliani Dauanzatij, & aliorum ciuium facta collegere; & ab iniuria temporis, omnique obliuione uendicata, & literarum monumentis mandata, omnibus ad imitandum proposuere. Sed quanto huius opera præstantior putanda est. qui in memoriam suorum ciuium & lucem, illius nomen reuocauit, quem non modo imitari, sed in magnis, quibus humana uita periculis, subiecta est, ipsi deprecari possint. Atque hæc summa pietas, & tam præclara uirtus, quæ illum mirificè gratum Deo faciebat, apud Principes etiam uiros in tanta gratia ponebat, ut Serenissimus Franciscus, quandiu uixit, nullum ferè intermitteret diem, quin ad eum domum ueniret. Ferdinandus autem, post reip. recepta gubernacula, nullo ei loco defuit. Et præterquamquod Pratensi Ecclesiæ, quo sacerdotio ipse antea insignitus fuerat, præfici uoluit, & annuam pecuniæ summam ei à fratre ordinatam, confirmauit; plurimis etiam alijs illum ornauit muneribus, ac beneficijs, suaque sæpius in eum liberalitate effecit, ut in subeundis

sub-

substinendisque grauioribus oneribus, & patria & familia splendorē ubi uis gentiū retineret. Quid de Clemente VIII. Pōt. max. et uiro cōsideratissimo dicā? qui licet ab initio sui pontificatus nihil studuerit magis, quàm vt vniuersi Sacerdotes de Tridentini Concilij mandato suis Ecclesiis residerent; ipsius tamen familiaritate atque ingenio delectatus, ab huiusmodi sanctiore decreto immunem esse voluit, perpetuoque apud se retinuit, eius opera, ubi opus esset, usurus: et cum plurimis alijs grauioribus rebus ordinandis, tùm visendis ac lustrandis Vrbis templis lateri affixum habuit, & nihil de eius consilio non fecit, atque ordinauit. Ex quo tantum aris, ac parietibus ornamenti, et splendoris, tantum sacerdotibus vigilantiæ, & deuotionis accessit, ut nunc demum Romana templa digna, in quibus catholica religio præcipuam sedem posuerit, esse videantur. Et vt tanta ipsius in rebus ornandis solertia vniuersa Romana Ciuitas impertiretur, veterum ædilium illi munus detulit sternendarum viarum. Qui magistratus, & quòd per se honorificus est, & quòd summa fuit ab eo cura & diligentia gestus, tantam ei apud omnes beneuolentiam & gratiam conciliauit; ut cum eximiam huius uiri sapientiam intueor, & tam facilem ad dignitates cursum animaduerto, illis assentiar necesse est, qui aiunt, sapientem uirum sibi fortunam architectari. Quomodo enim quem uirtus ducat, fortuna destituat, & quem probitas commendet, homines non respiciant? His autem diuinis uirtutibus, quibus ad regendam Ecclesiam utebatur, honestæ non defuerunt comites; benignitas, lenitas, mansuetudo; eaque ingenij suauitas, atque urbanitas, quæ uel prima facie omnes raperet in amo-

rem

rem sui. Equibus ille postea sibi eligebat, qui essent ingenio, at moribus cõsimilibus. Eosque sibi non leui quadã uulgarique amicitia conciliabat; sed tam arcto caritatis vinculo obstringebat, ut ipsi contra non modo eum in vita diligerent, & ut æquum erat, summa obseruantia colerent, sed in morte etiam germani fratris loco haberent, et rerum cariorum hæredem instituerent. Iam quanta in eo fuerit morum elegantia, & quæ reliquarum virtutum decus atque ornamentum est, magnificentia, neminem latere potest. Vtrãque enim miro modo inter se coniunxit. Neque solum ornatu corporis, quantum tamen personæ, quam sustinebat, dignitas patiebatur; sed cæteris etiam rebus quæ aliquo modo ad se pertinerent, præstetulit. Fidem faciunt amplissimæ, quas vbique sibi parabat ædes, lauta & preciosa supellex, prædia cùm rustica, tùm vrbana, quæ sũma arte, summo studio, summoque iudicio coluit: breuique ad tantam amœnitatem redegit, ut locis exornandis, lucique rebus afferendæ natus videretur: planèque naturam imitari, quæ magna prouidentia prædita, & pulcritudine magnoperè delectata, non satis habet vnamquãque rem ad usum commodissimam gignere, nisi eãdem etiam ad speciem pulcherrimam effingat. Mundiciem florentinæ vrbi, sed potissimum familiæ suæ propriam non neglexit, sed satis magna ope retinuit; eamque ita rebus adhibuit, ut non luxum, nimisque exquisitum splendorem, sed ei reuerentiam quandam addere videretur. Quod uitæ institutum siquis reprehenderit, idem Isocratis præceptum reprehendat necesse est. Qui adolescentem Nicoclem Cypri Regem monebat, in cæteris uitæ officijs, Regibus temperanter esse agendum, uesti-

tu autem splendidius indulgendum: ut qui eos procul aspiciant, ob illam speciem eos regno dignos iudicent. qui uerò unà familiariter uiuant, ob animi magnitudinem, eandem, atque illi, opinionem habeant. Domum ut plenam habuit dignitatis, ita & splendoris habere non recusauit. eam uerò non quouis ornamenti genere, sed aut Iesu Christi effigie bracchia in cruce pandentis, aut sanctorum tabulis, nec non suorum maiorum, seu pictis, seu fusis imaginibus decorabat. ut quocunque inciderent oculi, animus moneretur; & modo ad pietatem, modo ad rerum gestarum memoriam erigeretur. Quotidiani autem uictus ratio, regendaeque domus disciplina, qua se cuiusque animus, qualis sit, maximè patefacere solet, grauis in primis & honesta, magnopèreque laudabilis semper fuit: planeque digna, in quam Sacerdotes respiciant, atque ad eam se se, ac mores suos effingant. Neque enim ut plerique mortales corpori dediti, magnam diei partem in somno consumebat; sed manè prima luce euigilabat; horarijsque precibus perlectis, et quae Deò debentur accuratè persolutis, aut sacra faciebat, aut sacris pio animo astans, supplicibus uotis diuinum auxilium ad populum sibi creditum regendum comparabat. Reliquum diem in agendo ponebat: Omnibusque ad se ingredi cupientibus patentem aditum praebens, in auscultando patientiam, in respondendo comitatem, in consulendo fidem adhibebat. Tantum cibi & potionis capiebat, quo corporis uires reficerentur, animi non obruerentur. Mensam quam honestissimo cuique semper paratam uoluit, aut sacra lectione, aut sapientium colloquijs condiebat: eamque animis iusta ac corporibus suauem atque utilem efficiebat. familiae, quae fi-

delibus seruis optimisque Sacerdotibus constabat, præcipuã curam gessit: & nequis ex ea in labem incideret, exemplo uitæ, atque ubi id non eßet satis, mitibus uerbis præmonebat: interdum etiam, si esset opus, obiurgationibus in officio continebat: Et quos suis beneficijs dignos comperisset, liberalissime tractabat, neque minus de eorum commodis, quàm de suis laborabat. In fratrem, fratrisque filium, ac sorores, mira fuit indulgentia; incredibili in reliquos propinquos, et affines beneficentia: tantaque & tam propensa in omnes uoluntate, ut singulares animi dotes frustra sibi accepisse uideretur, nisi ad beneficia in homines, qui digni essent, conferenda, uniuersas conuertißet. Sentio me quantum datum fuerat temporis ad dicendum, uniuersum consumpsisse, nec minimam quidem partem præclaræ illius legationis attigiße, quam sibi perhonorifice a Pontifice delatam, atque ab eo sapienter in Gallia institutam, tam admirabili tamque insperato rerum euentu comprobauit Deus. Cumque ad eam oculos mentemque conuicio; ut inde singulare aliquod eliciam laudationis genus; ac uideo tantam pulcherrimarum rerum copiam mihi eße paratam, quæ cogitantem oblectare, dicentem facile perterrere poßet; repente tanto timore, ac stupore obruor, vt nulla mihi detur longius prosequendi facultas: vestræque cogitationi permittã, quæ laudes debeantur ei, qui in legatione post hominum memoriam grauissima, talia innocentiæ, ac continentiæ exempla dederit. Qui primum in eam prouinciam aduenien, talem de se opinionem excitarit. & vbicunque pedem posuit, solo aspectu illius gentis animos ad veræ pietatis studium erexerit, atque inflammarit. Qui Christianissimum Galliæ Re-

gem modestissimis, & venustissimis moribus tam facilè sibi conciliarit. Qui mulieres regias, & uiros illius Regni primarios, adhuc in fide fluctuantes, vt in catholica religione consisterent, persuaserit. Qui non modo quod sperabamus, Gallicanã Ecclesiã composuerit, optimisque stabilierit legibus & institutis, sed quod non sperabamus, pacem inter duos potentissimos Reges Henricum Galliæ IIII. & Philippum Hispaniarum II. multis de causis inter se dissidentes conciliauerit. rebusq; inter eos firmatis, Galliã incendijs atque rapinis, Hispanias solicitudinibus non paucis, orbem terrarum metu atque ærumnis liberarit. Quæ sanè omnia tam feliciter gesta, si quis virtuti ipsius (vt superius dicebam) ascripserit: si quis etiã felicitati assignarit; fortasse non errauerit. Ego verò, quamquam vtramque in eo mirificam fuisse non diffiteor, tamen cum ea, quæ difficiliora erant, quàm vt humanis viribus confici posse censerentur, (eo aggrediente) tam facilem habuisse finem animaduerto; diuinæ vt gratiæ diuinoque consilio tribuam necesse est. Laborum enim illius, qui vberrimum in Cœlo fructum expectabãt, hoc etiam præmium in terris esse Deum voluisse credendum est, vt ad eius voluntatem fluerent omnia, & quicquid faceret, quicquid præciperet, quicquid demum optaret, ei ex sententia eueniret. Atque hinc mirum populi sibi commissi studium, & alacritas ad religionem. Hinc magna ad pia quæque opera progressio, quæ omnia, quæ ad diuinum cultum pertinent, in sua Ecclesia summa cum animi voluptate augeri conspiciebat. Nam si, qui iustitiam colunt, eorum res ita feliciter procedere dicebat Hesiodus, ut magnis opibus Vrbes floreant, & in montibus quercus ra-

τιδὲ δρῦς, ση μὲν τε ραβαλᾶς ς, μέσση μελίσσας

mis glandes, trunco autem apes producant: cur non Deus huius vota fauore prosequeretur, qui omnia ad Ecclesiæ decus, atque augumentum referebat? eaque studiosè quærebat, quæ homines coniungerent cum auctore suo. Ex quo etiam factum est, vt quod homini in terris contingere potest maximum, atque optatissimum, id quoque illi deesse noluerit diuina voluntas. Nam cum proximè Romana sedes Clementis VIII. Pontificis Max. morte vacaret; et sacer patrum senatus ritè coactus, de nouo Pontifice eligendo deliberaret, paucis diebus, postquam in conclaue ingressus est, summo omnium consensu illum Pontificem Max. consalutauit. Hic rursus, si me animi pendentem, atque hæsitantem videtis; quæso, ne miremini, auditores. Iam enim omnes pusillæ artis meæ colores, ac pigmenta consumpsi. Atque vbi maximè oporteret crescere orationem: quòd maior rerum mihi nascitur ordo. Illic omnem dicendi facultatem, omnes ingenij opes me destituisse sentio. Ipse enim vbi se hoc altissimo, cœloque proximo dignitatis gradu collocatum videt: hanc vnam gratiam se Deo referre posse pro tantis meritis arbitratus, si sanctam Ecclesiam diuino afflatu hoc tempore sibi commissam ex eius voluntate administraret, effigiem, quamdiu spectarat animo, omnibus exprimere, & quasi tabula quadam immensa patefacere cœpit. In quam equidem tanto splendore victus, iuberem uos parumper oculos intendere: vt quæ ex mea oratione hic audiendo non potestis, illùc intuendo omnia ex suo pondere, ac dignitate metiremini: nisi animaduerterem, me animum uestrum ad acerbissimum luctum inuitare, et dolorem, quem leuare debeam, augere. Ipse enim parens optimus, et fide-

lis dispensator, dum omnia, quæ ad pietatem, & religionem spectant, sedulo comparat: & quæ per se geri non poterant optimo cuique mandat: dignitatesque & præmia ita distribuit, ut par laus et gloria dantis atque accipientis consequeretur; dum de Ecclesiæ pace, & tranquillitate, deque annona pauperibus leuanda: auxiliisque ad Cæsarem contra immanissimum hostem mittendis assiduè cogitat: dum denique bonis omnibus, & potissimum patriæ suæ carissimæ suauissimæque omnia fausta et felicia pollicetur: repentino morbo oppressus, uigesimo sexto sui Pontificatus die Cardinalibus carus, Quiritibus iucundus, omnibus desideratus decessit. O' fallacem hominum spem, fragilemque & caducam uitam. O' speciosam pompam ab eo paucis ante diebus, Romano populo spectante, & lætis uocibus acclamante ductam, & breui in atrum funus conuersam. O' immutatam urbis nostræ faciem, quæ nuper eius causa tanta lætitia exultabat, nunc incredibili ægritudine affecta, ingenti luctu, et squalore uersatur. O' extremum uitæ actum, reliquæ uitæ planè consonum & consentaneum; summoque decoro confectum; absque hoc eßet unum, quòd omnium uoluntate atque opinione breuior, nostram expectationem elusit. Dum ille a præpotenti Deo in cœlestem Ierusalem euocatus, ex hac mundi scena, ubi iniunctas sibi partes tam sapienter agebat, repentè se se proripit; planè beatus, atque hac una re fortasse minus lætus, quòd nos, & omnes mortales pulcherrimarũ actionũ spectatores auidos, nimioq; sui desiderio reliquit. Et quoniã non ex benè acta vita solũ, sed ex Christianè pièque obita morte, nostra æstimatur felicitas: ecquis vnquam aut patientius ægrotauit, aut tranquillius ex hac

vita

vita discessit? Qui cum ex illo graui, in quem incidisse dicebam, morbo intelligeret sibi mortem instare, & diem illum iam adesse prope, ad quem se parauerat semper, omnibus, quæ ad expiandum muniendumque animum diuinitus ab Ecclesia instituta sunt, ultro accersitis; non extrusus, sed tanquam ex obscuro tristique carcere, in summam lucem & libertatem inuitatus extremum spiritum in diuinis laudibus, & gratiarum actionibus profudit: & ad illud, quod semper optauerat bonum, in cælo perfruendum euolauit. Nunc igitur quæ debet esse orationis meæ summa, qui sensus animorum vestrorum? Num ego qui in percensendis tam caris, tam pulchris, tam eximiis bonis, grauius interdum commoueri visus sum, vos eidem causæ subiectos, & tam cari capitis amissione perturbatos, idem facere prohibebo? Num ego tam duram, tam agrestem, tam iniquam legem naturæ ponam, ut sui obliuiscatur? Et quod parietes ipsi, medius fidius, facere uidentur, vos non faciatis? Ah non patiar. Neque à vobis id, quo maxime homines estis, humanitatem seiungam. immo in vestris lacrimis exemplum statuam officij & caritatis; qui mæsto uultu, atraque veste, quàm uobis is carus fuerit, declarare uoluistis, et memoriam adhuc animis uestris inclusam his signis testari non recusastis. Sed tamen ne ratio sensui succumbat, cogitandum est, illum non dicam hominem fuisse, cui mori necesse est; sed Christianum, sed Sacerdotem, sed Pontificem max. cui mori optabile est. Atque ea, quæ hic illi contigerant, licet maiora non possent, fluxa tamen, & caduca extitisse: animum autem illius æterna spectasse semper. ad eaque non diuturnitate uitæ, sed mortis beneficio peruenire posse. Quare necesse erat, ut

ex his locis, ubi nihil firmi sub sole est, discederet, atque eò commigraret, ubi sine timore mali, perpetuo bono esset fruiturus. An nobis de eius salute dubitandi locus relictus est? qui ab officio ne latum quidem umquam discessit? atque ita in uita se se gessit semper, ut quod ei fuerat faciendum, ab eo, quod fecit, nihil umquam discreparit? An qui in ludis Olympiacis uno quinti cuiusque anni die se strenuè gesserant, corona donabantur; qui toto uitæ cursu iustitiam ac pietatem coluit, apud æquissimũ munificẽtissimumque Agonothetam Deum, meritum præmium non assequetur? Ah non ita cogitandum est. non ita nos sacræ paginæ instruunt. non iustitiæ leges, non ratio ita nos credere permittunt. Quæ enim in illo laudaui caritatis ac pietatis officia, ita apud nos permanserunt, ut illum in Cœlum se recipientem comitata sint. Opera enim illorum secuntur illos diuina oracula concinunt. Quare modus lacrimis faciendus est. Neque satis æqua nobis causa mœroris putanda, quæ illi æterni gaudij causa futura sit. qui quidem hanc uitam non cum morte, sed cum meliore uita, omnique uoluptate circunfluente quo commutauit. Hęc cum animis nostris cogitemus. et quam in longiore eius uita spem sitam habebamus, illius felicitati & quieti condonemus. Pluraque et pręstantiora, quàm quæ hìc nobis præstare posset, ab eius precibus, qui, ut credi ęquum est, Deum uidet expectemus. Neque eius uirtutem penitus extinctam, aut ex oculis sublatam iudicemus, quæ nobis tam pulchra, tam ampla, tam æterna sui monumenta reliquit. in quæ respicientes dolorem nostrum consolemur, & desiderium, quod ex eius obitu cepimus, leniamus. Et postremò Deum obsecremus, ut menti no-

stræ

ſtræ tantum luminis præferat, ut ex illius exemplo intelligamus, perbreuem hunc uitæ curſum ad meliorem finem nobis eſſe propoſitum. poſſeque homines, ſi ſapiant, & comitem uirtutem aſciſcant, ita in eo uerſari, ut in terris laudem & honorem, in Cœlo autem optatæ felicitatis præmium conſequantur.

D I X I.



